THEOLOGISCHE SAMMELHANDSCHRIFT
Klosterneuburg, 3. Drittel 12. Jh.
Seite 9r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=922
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

illis in partibus haberet. festinat ut revocet pereuntem iterumque parturiat. Observantes autem predicti sodales et subversores hugonis. viso eo quedam ambitum suam. et omnem loquendi ei adimunt facultatem. omnem aditum vite excludunt. At ille cum loqui ei non posset. clamabat pro eo ad dominum. Quo orante cum lacrimis. subita et vehemens inundatio pluvie mox erupit. Considerant autem in campo quod aer serenus esset. et nil tale sperarent. Dispersi ergo omnes ad repentinum ymbrem. vicum proximum petiunt. At bernhardus hugonem tenens mecum ait sustinebis huius pluvie guttas. Cumque soli remansissent non fuerunt soli. quia dominus fuit cum eis. reddens eis continuo et aeris et animi serenitatem. Ibi renovatum est fedus. et propositum confirmatum. quod non potuit deinceps violari.

VIDEBAT ista peccator et irascebatur. dentibus suis fremebat et tabescebat. visus autem confidentis in domino glorie de scelo triumphabat. Iamque eo publice et privatim predicante. matres filios abscondebant. uxores detinebant maritos. amici amicos avertebant. quia voci eius spiritus sanctus tante dabat vocem virtutis. ut vix aliquis aliquem teneret affectus. Crescente siquidem numero eorum qui in hanc conversionis unanimitatem consenserant. sicut de primitivis ecclesie filiis legitur. multitudinis eorum erat cor unum et anima una in domino. et habitabant unanimiter simul. nec quisquam aliorum audebat se coniungere illis. Erat. H. eis castellioni domus una propria et communis omnium. in qua conveniebant et cohabitabant. et colloquebantur. quam ingredi vix aliquis audebat qui non esset de cetu eorum. Sed et si quis intrabat videns et audiens que ibi gerebantur. ac dicebantur. sicut de xpistianis chorintiis apostolus